EXAMINATVR
S. REV. STAEVDLINI INTE
LOCI IES. LII, 13. 14. 15. ET

DISPVTATI

Q V A M

AVCTORITATE

SVMME REVERENDI THEOLOGOR

IN ACADEMIA VITEBERG

PRO LICENTIA

SVMMOS IN THEOLOGIA

CAPESSEND

DIE XXX. MAII CIƆIƆ

DEFENDET

GOTTLIEB LEBERECH

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET LIBB. ARTT. M

P. O. ET PRAEPOSITVS AEDI ARCIS D

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIAN

T VR

NTERPRETATIO

5. ET LIII. TOT.

A T I O

M

A T E

LOGORVM ORDINIS

EBERGENSI

NTIA

OGIA HONORES

E N D I

CIↃ IↃ C C X C I V

E T

R E C H T S P O H N

ARTT. MAG. PROF. THEOL.

ARCIS DESIGNATVS.

R G A E

RISTIANI DÜRRII.

1520

6

4

e

EXAMINATVR

S. REV. STAEVDLINI INTERPRETATIO LOCI IES. LII, 13. 14. 15. LIII, TOT.

Errare humanum est.

Omni fere tempore locus ille Ies. 52, 13. 14. 15. et cap. 53 totum, a Christianis potissimum doctoribus pro vaticinio in Messiam edito est habitus, vel ab iis, qui vaticinia, in Messiam prolata, in sacro codice, praeter hoc, admiserunt nulla. Cur autem ita egerint, tres potissimum caussae possunt excogitari: *a*) Auctoritas antiquitatis eos mouit, vt Messiae fata in illo loco describi putarent; *b*) vis argumentorum iis fuit tanta, vt nihil excipere possent; *c*) timor quidam, ne in numerum nouaturientium referrentur, eos prohibuit, quo minus hoc vaticinium tollerent. Qui vero receptam huius loci inter-

pretationem, quia recepta est, sequuntur, et ex auctoritate antiquitatis pendent, sua comprobatione nihil efficiunt: Qui porro vulgarem interpretationem, quamuis pro falsa habeant, retinent, eorum auctoritas est nulla; quid enim lucramur horum interpretum suffragio? Igitur laudandi atque probandi sunt conatus illorum explanatorum, qui vulgari sententiae argumentis haud leuibus contradicere audent. Hac enim via veritas magis illustratur erroresque citius fugantur, quo saluti hominum consulitur quam maxime. Attamen dolendum est, homines doctos indoctosque eiusmodi conatus male accipere, et clamitare, de religione omni actum esse; quae iniquitas mihi videtur omnium maxima.

Ne autem praefando sim longior, rem ipsam adgrediar. Constitui enim animo nouam illam explicationem Ies. 52, 13— cap. 53. examinare, quam nuper proposuit S. R. CAROLVS FRIDERICVS STAEVDLINVS, Prof. S. S. Theol. Gottingensis, in libro: *Neue Beitraege zur Erlaeuterung der biblischen Propheten, Goettingen bey Vandenhoek und Ruprecht* 1791. *p.* 1—22. Summa autem huius explicationis haec est: *Pericopa illa est Threnodia in mortem Iesaiae prophetae.* Quum igitur locum illum celeberrimum ita tractauerit, vt omnia, quae ad hanc rem conferri posse viderentur, conferret, illa exegetica, vt ita dicam, coniectura speciem quamdam veri habet, nec sine suauitate et assensu legitur, docte, eleganter et modeste proposita. Ego vero in hoc libello qualicunque probare studui, *in illa pericopa Threnodiam in mortem Iesaiae esse non posse,* remque ita tractaui, vt, quicquid contra interpretationem haberem, aperto quidem, attamen leni et sedato animo proponerem.

Dissentimus igitur, vt apparebit, et in eo, de quo sermo est in oraculo illo, et in iis, quae de illo praedicantur. Subiectum huius carminis incertum est; duo potissimum, ne nimis lon-

longus sim, neque ad alia, a meo instituto aliena, digrediar, cogitari possunt, *Iesaias* nempe et *Messias*. Canitur aut mors *Iesaiae*, aut *Messiae*; vterque mortuus est; vterque docendo, monendo, castigando saluti hominum consuluit. Hactenus bene. Vterque morti iniustae est traditus; de qua re dubitatur. De *Iesu Messia* res certa est et rata, *de Iesaia* incerta est dubia. De vtroque carmen illud saltem explicari posset, si de morte Iesaiae violenta certi essemus. Sed ne eaedem res saepius repetantur, duplicem huius refutationis rationem posui; prima igitur de aetate et morte Iesaiae aget; in altera vero interpretatio ipsa examinabitur.

PARS PRIOR.

I. Variae in antiquis et Iudaeorum et Christianorum scriptis opiniones leguntur, quae quidem Iesaiae aetatem tribuunt iusto longiorem; sed ex vno eodemque fonte satis impuro deriuantur, e Thalmude Babylonico, *) et commentis magistrorum

*) E *Lightfooti* horis hebraicis in Euangelium Ioannis Vol. II. p. 657. repero traditionem ipsam: *Ievamoth*, fol. 49. 2. *Traditio. Simeon ben Azzai dicit, Inueni librum Hierosolymis — — in quo scriptum erat, Manasseh occidit Esaiam. Dicit Rabba, Hac ratione iudicauit et occidit eum: Dicit ei, Magister tuus Moses dicit, Non videbit homo Deum et viuet. At tu dicis, Vidi Iehouam sedentem super solium excelsum et exaltatum. Moses Magister tuus dicit, Quisnam est sicut Deus noster in omnibus, quibus inuocamus eum?* (Deut. 4, 7.) *At tu dicis, Quaerite Dominum, dum est inueniendus.* (Ies. 55, 6.) *Moses Magister tuus dicit, Numerum dierum tuorum adimplebo,* (Exod. 23, 26.) *At tu dicis, Quindecim annos ad dies tuos adiiciam,* (Ies. 38, 6.) *Dixit Esaias, Noui quod non est auscultaturus in quocunque illi dixero: si quid illi dixero, vt scripturas conciliem, ille fastuose aget. Dixit ergo,* איבלע בארזא, *concludam me intra hanc cedrum. Adduxerunt cedrum et serra dissecuerunt eam.* כי מטא להדי פומא נח נפשיה, *Cumque serra os eius attingeret, expirauit. Idque ideo, quod dixerat, Ego habito inter populum impurum labiis.* Quis huic commento fidem habere potest? —

rum Iudaicorum. Tradunt ſcilicet hi libri, Ieſaiam ſerra diſſectum eſſe a Manaſſe, rege Iudaeorum. Sed quamquam contra hanc opinionem multa pugnant, tamen partim ſuos nacta eſt defenſores, qui traditioni Iudaicae fidem tribuerent iuſto maiorem; partim nec defuerunt doctores *Iudaici*, qui Ieſaiam mortuum eſſe tempore Hiskiae ſtatuerent, vt Abeneſra, nec *Chriſtiani*, qui Ieſaiam Manaſſis regnum attigiſſe negarent, vt Vitringa, qui in typo doctr. prophet. p. 34. ait: *de genere, ortu et obitu Ieſaiae quae feruntur, vel incerta ſunt, vel fabuloſa — nec probabile, illum Manaſſis regnum attigiſſe.* Vide Praefat. *Henr. Michaelis* in Ieſaiam p. 4. ſeq. vbi plures laudantur. Noſtris quidem temporibus Illuſtris *Eichhornius* in Introduct. in Vet. Teſtam. Tom. III. pag. 56. 57. eamdem rem tractauit atque expoſuit et ſubtilius et magis perſpicue; cuius verba digna mihi videntur, quae lectoribus proponam: *Durch dieſe Bemerkungen*, ait, *verliehren ſich nach meinem Urtheil die Zweifel, die man gegen die Richtigkeit der Angabe der Ueberſchrift unſers Ieſaias wegen ihres iungen Alters erheben koennte, und man kann mit Gruenden vorausſetzen, daß Ieſaias unter Uſias, Iotham, Ahas und Hiskias das Anſehen und den Einfluß eines Propheten gehabt habe. Freylich iſt dadurch noch nicht beſtimmt, w i e l a n g e er in oeffentliche Geſchaeffte verflochten war? Der Anfang waere zwar gewiß, aber nicht das Ende; Iener fiel in das Todesiahr Uſias's (Ieſ. VI, 1.), aber wie lang oder wie kurz fuehrte er ſeine Wuerde nach dem Einfall Sanherib's, oder noch nach dem vierzehnten Iahre Hiskias fort? Zur Beantwortung dieſer Frage mangeln uns alle beſtimmten Angaben; unſre Neugierde muß alſo dabey ſtehen bleiben, daß er gewiß ſieben und vierzig Iahre*

unter Uſias	1 *Iahr*
unter Iotham	16
unter Ahas	16
unter Hiskias	14 *Iahre*

ein

ein oeffentlicher Fuehrer der Koenige und des Volks gewesen; und wir muessen die Zeit und die Art seines Todes entweder nicht zu wissen verlangen, oder mit den spaetern Iuden erdichten und traeumen. Et quis est, qui illi Viro magno assensum praebere non cogatur? Aliter tamen Summe Reuerendo STAEVDLINO visum est, quippe qui opinionem illam Judaicam quodam modo tutatur, Iesaiam nempe sub Manasse vnum saltem annum vixisse, cuius iussu interfectus sit, remque ita proponit, vt tempus vitae eius vitam humanam excedere non videatur; nam olim cum hac sententia erat coniunctus numerus annorum solito maior. Verba Auctoris doctissimi ipsa subiiciam, vt lectores de hac re iudicare possint. Pag. 11. not. 2. *Iesaias*, ait, *trat im Todesiahre Usiae sein Prophetenamt an (VI, 1.) Wenn ich nun annehme, daß er unter Usias auch noch 1. ganzes Iahr geweissagt habe, und die 16. unter Iotham, die 16. unter Achas, die 29. unter Hiskias und fuer seine Weissagungen unter Manasse noch 1. Iahr dazu rechne, so kömmt erst eine Anzahl von 63. Iahren fuer die prophetische Laufbahn des Iesaias heraus, was nur drei Iahre mehr ist, als die gewoehnlichere Rechnung (bei Carpzov. introd. p. 110.) die so lautet:*

Unter Usias	10 *Iahre*
Iothan	16
Achas	16
Hiskias	18
	60 *Iahre.*

Die Behauptung, daß Iesaias mehr als 130. Iahre ueberlebt habe, ist also nicht, wie man gewoehnlich glaubt, nothwendig mit der Meinung verbunden, daß er wirklich unter Manasse eines gewaltsamen Todes gestorben sey. Er konnte sein Amt zwischen dem 20 und 30sten Iahre etwa antreten und auf diese Art im Ganzen ein Alter von etlich und achtzig Iahren erreichen. In hoc quidem calculo traditio Thalmudica eatenus pro vera habetur, quatenus, Iesaiam vnum sal-

tem annum sub Manasse vixisse, auctor doctissimus contendit. Quae res si vera est, inuoluit, Iesaiam annos XXVIIII. sub Hiskia vixisse. Attamen traditionem illam indubitatam esse S. R. STAEVDLINVS lectoribus probare debebat; in hac enim re fundata est omnis huius loci interpretatio. Quamdiu ergo Iesaias vixerit, incertum est; etenim silent libri sacri, e quibus solis definiri possit, quot annos Iesaias vixerit.

In mortis genere omnes et Iudaei et Christiani doctores vno ore consentiunt, *Iesaiam serra inter cedri asseres viuum iussu Manassis esse dissectum.* Sed omnes illi, quotquot sunt, vnum modo efficiunt testimonium; pendent enim a traditione Judaica, satis antiqua et Christianis secundo saeculo iam nota, vt apparet e Iustino Martyre, qui in Dialogo cum Tryphone Iudaeo de Iesaia ait: ὃν πρίονι ξυλίνῳ ἐπρίσατε. Attamen quum haec traditio cum iis, quae nobis de aetate Iesaiae certa sunt, pugnat, fidem meretur nullam et vt commentum Iudaicum est reiicienda. Nec stabilitur fides Traditionis illius testimonio auctoris Epist. ad Hebr. II, 37. qui ait: τινὲς ἐπρίσθησαν. Solent quidem interpretes ad Iesaiam potissimum haec verba trahere, sed temere.*) In vniuersum enim variae piorum hominum persequutiones narrantur, nec, nisi fabella illa nota fuisset, quisquam de Iesaia cogitasset. Sed concedamus, Auctorem huius Epistolae mortem Iesaiae hac potissimum vocula designare voluisse, quid foeneratur traditio? Iam Auctoris illius, quisquis sit, aetate fabulam esse creditam, et Thalmude esse antiquiorem; sed verum in ea contineri, quis est, qui contendat?

Si porro caussam quaeris, ob quam potissimum Iesaias morti sit traditus, a diuersis diuersae afferuntur, h. e. caussam nescierunt homines illi, et pro suo quisque ingenio aliquam exco-

*) Vide Wetsten. ad h. l.

excogitarunt. Omnibus his rite penſitatis, temerarius mihi non videor, ſi ſententiae Eichhornianae ſubſcribo: *Wir mueſſen die Zeit und Art ſeines Todes entweder nicht zu wiſſen verlangen, oder mit den ſpaetern Iuden erdichten und traeumen.* Igitur res de Ieſaiae morte et eius genere incerta eſt.

Nullane argumenta, quaeris, protulit S. R. STAEVDLINVS, quorum vi traditio illa ſaltem veriſimilis ei videretur? Omnino protulit, ſed lege verba eius: *Es gehoert freilich*, ait pag. 3., *bloß zu den durch Talmud und die Rabbinen aufbewahrten Sagen, daſs Ieſaias von koeniglichem Gebluete abſtammte, daß er noch unter Manaſſe weiſſagte, daß dieſer Koenig den Propheten durch die Saege habe hinrichten laſſen, weil er ſeine und ſeines Hofes Laſter und Sittenverdorbenheit freimuethig und ſtark getadelt habe, daß endlich Ieſaias doch neben den Graebern der Koenige begraben worden ſei.* Libere et ingenue fatetur S. R. Auctor, omnibus his rebus ineſſe traditiones Thalmudicas. Sed p. 4. ita pergit: *Allein wenn nun gerade das Stueck Ieſ. LII, 13 ff. in dieſen Umſtaenden ſeine ſimple Erklaerung faende — wenn auch Geſchichte und Chronologie denſelben in der Hauptſache nicht widerſpraechen — ſo waere man berechtiget, anzunehmen, daß iene Sagen, wie viele andere ihres gleichen, in wahren Thatſachen ihren lezten Grund haben.* Duplex igitur cauſſa excogitari poteſt, cur in his traditionibus veri veſtigia latere ei videantur; *a*) quia ex iis Locus ille Ieſaianus non contorte explicari poſſe videtur; *b*) quia neque hiſtoria neque chronologia, ſi ſummam rei ſpectes, iis contradicere videntur.

Priori quidem rationi vim quamdam et pondus ipſe concedo, ſi nulla alia explicatio inueniri poteſt, ſi eae, quae antea ſunt tentatae, ſenſum bonum non admittunt et obſcuritate quadam laborant. Sed hoc antea erat probandum, quam Auctor interpretationem ipſam adgrederetur. Igitur, quia hoc in tractatiuncula omiſit, perit vis argumenti et pondus.

Deinde quemadmodum verum illud, quod istis traditionibus doctorum Judaicorum inesse Auctor putat, prorsus euanescit, si locum illum de Iesaia agere non posse ostendatur: ita perit explicatio Auctoris ipsa, si quis fabulosas et commentitias traditiones esse probet. Quum igitur et interpretationis et traditionum illarum ea sit indoles, vt et alterutrum et vtrumque negari possit, Auctor nouae suae explicationi male consuluit, quia res dubia adducitur pro argumento rei incertae; etenim ex incertis neque certitudo, neque verisimilitudo oriri solet.

Denique etsi hoc loco Auctor satis dubitanter et hypothetice tam de interpretatione, quam de eo, quod illis traditionibus inesse videatur, loquitur: tamen in ipsa explicatione caedem Iesaiae iussu Manassis commissam, tamquam rem certam, nec vlli dubitationi expositam sumit, vid. pag. 6. 7. 8. 9. tandem vero p. 10—13. ad vers. 9. probare studet, Iesaiam a Manasse interfici *potuisse*. Qui ordo rerum tractatarum mihi displicuit, quia imprudens et incautus lector facile seduci potest. Non dico, Auctorem consulto omnia ita collocasse, vt assensum emendicaret; quis enim tam illiberalis est, qui de viro liberali et ingenuo talia fingat? Sed hoc dico, Auctorem festinasse et sibi in hac interpretatione ob nouitatem nimium placuisse. Nam pagg. 10—13. probatur, Iesaiam a Manasse interfici *potuisse*; per totam autem interpretationem vbique elucet: Iesaiam a Manasse interfectum *esse*.

Altera ratio petebatur ex historia et Chronologia, quae cum traditionibus istis, si rei summam spectes, pugnare non viderentur. At historia certa silet de morte Iesaiae. Quid ei post cladem Sanheribi, siue post annum decimum quartum regni Hiskiae acciderit, vtrum et quomodo sit mortuus, an diutius et quamdiu in viuis manserit, prorsus ignoramus. Ergo historia in auxilium vocari non potest; desunt enim documenta

certa,

certa, genuina et fide digna. Haec, ni fallor, sole meridiano sunt clariora. Attamen fata Iesaiae suprema nullibi commemorari S. Reu. STAEVDLINVS negat, p. 13. cuius argumenta, quae iam p. 12. incipiunt, audiamus: *Und wenn man*, ait, *ausserdem in den angefuehrten Stellen der Buecher der Chroniken* (2 Chronn. 33. non 23.) *und der Koenige* (2 Regg. 21.) *ausdruecklich bemerkt findet, daß die uebrigen Thaten Manasses, seine Verbrechen, die Orakel der Propheten unter ihm u. s. w. in den Annalen der Koenige von Iuda und Israel und in der Geschichte des Chosai,**) *also in Buechern, die nicht auf uns gekommen sind, erzaehlt seyn, so ist die Vermuthung sehr natuerlich, daß in diesen verlohrnen Buechern auch die Geschichte des Iesaias und sein Tod werde beschrieben gewesen seyn. Ia diese Vermuthung wird zur hoechsten Wahrscheinlichkeit, wenn man bedenkt, daß uns von der Lebensgeschichte dieses an Einfluß und Ansehen so wichtigen Propheten sonst nirgends in den Resten der hebraeischen Litteratur etwas erzaehlt wird. Dieß ist wohl kaum begreiflich, wenn man nicht annimmt, daß die hebraeischen Schriftsteller, die uns noch uebrig sind, seine Lebensgeschichte als aus andern Buechern bekannt voraussetzten, und diese Buecher waren wohl keine anderen, als iene Reichsgeschichten. Es ist also kein gegruendeter Einwurf gegen unsre Meinung, daß von der gewaltsamen Todesart des Iesaias nirgends etwas erzaehlt werde. Die Buecher, wo die Erzaehlung ohne Zweifel stand, sind verlohren, und sie ist nun nur noch durch den freilich etwas trueben Canal der Tradition erhalten worden.* Sic ille; et recte in libris illis vitam et mortem fuisse descriptam suspicatur. Verumtamen quum lectores ad eosdem libros, finita de Hiskia historia, ablegantur, mors Iesaiae, quae violenta ob summam Hiskiae pietatem fuisse non potest, in illis sub Hiskia, narrari potuit; nec, cur in vita Manassis potissimum eius mentio fiat, video; nisi caussa in Traditione doctorum

 Iudai-

*) Igitur praeoptauit lectionem חוזי.

Judaicorum sita sit. Tunc autem eius fides tanta praesumitur, quanta est historiae genuinae.

Porro e libris illis quidem *mors* Iesaiae concludi potest, non ita *mors violenta*. Quid de caussa et genere mortis in iis narratum fuerit, prorsus ignoramus. Equidem hoc tantum affirmare audeo, Iesaiam esse mortuum; quomodo et quando animam exhalauerit, non liquet. Hoc igitur loco Auctor se ipse fefellit. Nam 1) recte viderat, in illis libris mentionem fieri de morte *Iesaiae*, sed 2) eadem pagina subiecit mortem violentam, de qua in praemissis sermo non fuit.

Deinde e libris deperditis, quorum titulus solus nobis est notus, testimonium afferri non posse, quis est, qui neget? Libri eiusmodi nobis sunt aeque, ac si numquam exstitissent. Dicis, non solus librorum illorum titulus nobis seruatus est, sed etiam argumentum bene nouimus. Audio, vid. 2 Chron. 33, 18. 19. vbi inter alia reperimus: *omnia eius peccata et facinora.* Haec quisque praeiudicata opinione non imbutus intelligit de iis, quae a v. 1—10. summatim descripta legimus; et 2 Regg. 21, 17. eadem occurrunt, quae eodem modo sunt explicanda, vbi porro v. 16. Manassis facinoribus etiam caedes innocentium adiicitur. Hoc igitur loco Auctor S. R. duo probare debet: 1) an sub voculis istis: *peccata et scelera*, etiam caedes Iesaiae sit intelligenda et cur intelligi debeat? 2) an sub *insontibus* prophetae potissimum, et inter eos Iesaias, sint intelligendi? Quae si affirmet, nullum aliud argumentum habet, quam traditiones illas iudaicas, quas veras esse sibi sumsit.

Tandem, quia perierunt libri isti, suspicari quidem, attamen non affirmare possumus, reuera historiam de morte Iesaiae violenta in illis lectam esse. Documenta enim, e quibus testimonium haurire possimus, nunc nulla sunt. Quare mortem Iesaiae violentam nullibi commemorari iure omni contendimus,

vel

vel si in libris illis deperditis eius mentio facta fuisset. Non enim habemus libros illos, deperditosque aequiparamus iis, qui numquam exstiterunt. Quare haec Auctoris verba mirans legi, p. 13. *Es ist also kein gegruendeter Einwurf gegen unsre Meinung, daß von der gewaltsamen Todesart des Iesaias nirgend etwas erzaehlt werde.* Omnino iusta et bene fundata est obiectio. In quibus libris *nunc* legimus historiam de morte Iesaiae, nedum de violenta? Nec comprehendo, quomodo adiicere potuerit Auctor: *Die Buecher, wo die Erzaehlung ohne Zweifel stand, sind verlohren, und sie ist nun nur noch durch den freilich etwas trueben Canal der Tradition erhalten worden.* Hic concedit ipse Auctor, in nullo libro genuinam historiam nunc legi; quomodo in periodo praecedenti scribere potuit: *Es ist also kein gegruendeter Einwurf gegen unsre Meinung, daß von der gewalsamen Todesart des Iesaias nirgend etwas erzaehlt werde.* Et quomodo explicari debet τὸ *der freilich etwas truebe Canal der Tradition?* Ego vero ita explico, hoc esse *oppositum genuinae historiae*, i. e. historiam, quam in Thalmude et scriptis Magistrorum Judaicorum relatam legimus, esse spuriam. Et tamen Auctor scribere potuit: *es ist kein gegruendeter Einwurf* etc. Quidnam pro sua sententia Auctor habet, praeter historiam de morte Iesaiae violenta *spuriam?* Ipse ergo Auctor, si quid videam, traditionem illam fabulis annumerat, quibus ego eam vel tunc annumero, si lacinia verae et genuinae historiae monstrosis illis commentis insint. Nunc enim discernere non possumus, quid in iis verum potissimum sit, quid falsum. At, dicis, omnino discernere possumus, quid in illa Traditione verum sit, quid falsum. Manasses fuit rex, vt omnibus sceleribus flagitiisque obrutus, ita omnium crudelissimus. Ergo a vero non abhorret, quod traditio illa de morte Iesaiae violenta a Manasse commissa narrat. Sed et hic iuuat, nostrum Auctorem audire, qui p. 11. *Wenn man*, ait, *die Geschichte Manasses* 2 *Chronn.* 33. *und* 2 *Regg.* 21. *liest, und es zu wie-*

derholtenmalen ausdruecklich bemerkt findet, wie die Propheten diesem Koenige seine Laster vorwarffen, wie sie ihm Strafe und Schande drohten, und wie er all dieser Warnungen nicht achtete, sondern in seinen Grausamkeiten fortfuhr: so wird man es nicht befremdend finden, wenn auch Iesaias, dessen hohes Alter, der Chronologie nach, gerade in den Anfang der Regierung Manasses fallen koennte (naemlich vorausgesetzt, was auch an sich sehr wahrscheinlich ist, daß er nur noch sehr kurze Zeit unter Usias geweissagt habe) — wenn also auch Iesaias ein Opfer seiner Rache und seines Blutdursts wurde. Sane fuit Manasses et sceleratissimus et crudelissimus. Tria tamen ad S. R. STAEVDLINI verba responderi possunt.

1) Iesaias tunc fuit senex iam decrepitus, qui mox naturae debitum solueret. In talem saeuire, est nimia crudelitas.

2) Nulla in Manassen oracula in libro Iesaiae leguntur, quod Spinoza miratur et S. R. Auctor p. 21., quem locum infra videbimus, ipse concedit. Hinc igitur concludere licet, nulla sub Manasse edita esse a Propheta sene. Quod si verum est, defuit caussa, quin immo praetextus caedis violentae. Ergo a Manasse interfectus esse non videtur.

3) Quonam tandem tempore et sceleratus et crudelis fuit? Num *puer duodecim annos natus?* Noli mirari, lector! vera dico, vide 2 Regg. 21, 1. et 2 Chronn. 33, 1. ad quae loca Auctor S. R. ipse prouocat. Sed filum orationis hic abrumpere iuuat.

Ex omnibus his hucusque disputatis, sine vllo, vt videtur, erroris periculo concludo, 1) nos genuina de morte Iesaiae violenta historia esse destitutos; 2) mortem illam Iesaiae violentam, fundamentum explicationis Ies. 52, 13. 14. 15. et c. 53. tot. esse neque posse neque debere, quia inest petitio principii, vt Philosophi vocant.

Videamus porro, an Chronologia faueat explicationi Staeudlinianae. Supra iam p. 5. h. d. locum e libello eius proposui,

posui; quem, rogo, vt lectores relegant, ne me fucum facere credant, et S. Reu. STAEVDLINVM rogo, vt ne mihi irascatur, si probauerim, se ipsum interpretationem nouam lectoribus pro falsa declarasse eo, quod Iesaiam sub Manasse vnum modo annum vixisse statuit.

Prouocat nempe ad 2 Regg. 21, 1—18. et ad Chronn. 33, 1—20. conf. supra 11. h. d. Prior quidem locus narrat Manassis impietatem erga Deum, cultum idolorum, cupiditatem caedis, minasque Dei grauissimas, tandem eius mortem; quo autem tempore ad veri Dei cultum redierit, non memoratur. Sed alter locus, qui eadem fere scelera enumerat, indicat caussam, qua motus Manasses mentem suam in melius mutauerit, vid. 2 Chronn. 33, 11. et verss. 12—16. ipsam mentis mutationem declarant. Mens igitur sanior calamitate grauissima, quam sibi impietate contraxerat, orta est. Captus, vinculis constrictus, Babylonem abductus est, ibi resipuit, et in regnum restitutus est. Quonam regni sui anno ad meliora rediit Manasses? E sententia S. R. STAEVDLINI, primo anno regni sui, h. e. pueri ad duodecim annos nati. Nam pag. 11. ait: *Wenn auch Iesaias, dessen hohes Alter, der Chronologie nach, gerade in den Anfang der Regierung des Manasses fallen koennte;* et in nota subiecta: .... *und fuer seine Weissagungen unter Manasse noch 1 Iahr dazu rechne.* His addo p. 12. vbi legimus: *Wenn man ferner in eben iener Stelle liest, daß eine Zeit gekommen sei, wo Manasse sein Unrecht in seiner bisherigen Handlungsart erkannt habe; so koennte ia das Begraebniß des Propheten Iesaias gerade in diese Zeit gefallen sein — er koennte also dem, der bei den Missethaetern haette begraben werden sollen, ein ehrenvolles Grabmal gegoennt haben.* Ergo rex Manasses, adhuc puer tredecim annos natus, *primo* regni anno tanta tamque atrocia commisit scelera; *primo* anno in captiuitatem Babylonicam est abductus, *primo*

anno resipuit, *primo* anno in regnum rediit, *primo* anno Iesaias interfectus, *primo* anno idem honorifice sepultus est. Hinc sequitur, *vel* Manassen primo regni anno interfecisse Iesaiam, antequam victus, captus, vinculis constrictus a ducibus Regis Assyriae Babylonem transportaretur, et post reditum Iesaiae interfecto et putrefacto concessisse sepulturam honestiorem; *vel* Manassen post reditum Iesaiam interfecisse et sceleris cogniti poenituisse, Iesaiamque mortuum honorasse eo, quo licuit, modo. Id, quod priori loco posui, spatium vnius anni non excedere, quis cogitare potest? Et posterius pugnat, vt cum historia, ita cum mentis in melius mutatae indole. Quid igitur Auctor verbis illis vult: *Wenn man ferner — haben.* Vide supra p. 13. h. d. Itaque si Iesaias neque ante captiuitatem Manassis, neque post reditum eius occisus est, falsissimum est, Iesaiam a Manasse esse interfectum. At historia genuina docet, Manassen factum esse alium. Rectissime; tempus autem, quo sit factus alius, non definitur.

Sed, quae totius rei summa sit, nunc videamus. Incertum est, *a*) Iesaiam a Manasse esse interfectum; *b*) Iesaiam primo regni Manassis anno occisum esse; *c*) quo tempore Manasses ad meliora redierit. Quamquam haec ita comparata sunt, vt ad veram et certam interpretationem loci illius Iesaiani nihil conferant, tamen S. R. STAEVDLINVS affirmat, sepulturam Iesaiae honestiorem in id temporis momentum, quo resipuerit, incidere *posse*. Auctor enim ita argumentatur: quia sacra scriptura narrat, Manassen certo quodam tempore ad cultum Iehouae rediisse, id factum est statim post caedem Iesaiae, quae caussa fuit, cur mens Manassis in melius mutaretur. Atqui eadem scriptura memorat, hanc mentis conuersionem natam esse calamitatibus atque miseriis, quas, regno priuatus, in vinculis esset perpessus. Haec igitur est fallacia non caussae vt caussae.

Restat,

Restat, vt occurram iis, qui putant, et omnia illa facinora et fortunae vicissitudines vnum modo annum explere posse; quod ego negaui. Sed duo potissimum in promptu sunt, quae ad illam sententiam responderi possint, si quis forte in tanta luce caecutiat.

a) Manasses anno aetatis duodecimo in regno successit Hiskiae patri, qui maxima pietate coluit Iehouam, cuius cultum filio suo commendauit, quod e rei natura sequitur. Porro animi humani natura atque indoles ita est comparata, vt ad scelera sensim degenerare soleat. Puer igitur annos duodecim natus sensim erat deflectendus ad idolorum cultum, et quasi praeparandus ad tanta tamque atrocia facinora perpetranda; in quo negotio tempus consumebatur multum. Itaque anni spatium nimis est angustum. At quamuis iam semina omnium flagitiorum in animum Manassis pueri, viuo patre, fuissent sparsa et impetu quodam, patre mortuo, erupissent: tamen remanet difficultas non minima. Nam per vnum modo annum Manasses rex fuisset pessimus, et per quinquaginta quatuor optimus. Quomodo Amon, Manassis filius, eadem, quae pater, scelera commisisse dici potest?

b) Alterum momentum, idque grauissimum, hoc est: Manasses rex, adhuc puer, in ignem traduxit *filium suum*, vid. 2 Regg. 21, 16. siue *filios suos*, vt legimus 2 Chronn. 33, 6. Potestne haec quoque impietas perpetrata esse a puero, qui annum decimum tertium nondum superauerat?

Ex omnibus iis, quae hucusque sunt disputata, apparet id, quod supra dixi, S. Reu. STAEVDLINVM suam interpretationem pro falsa declarasse, eo nomine, quod Iesaiam *primo* regni Manassis anno occisum esse statuit. Nam haec opinio pugnat vt contra historiam, ita contra Chronologiam. Itaque quum argumenta, quibus traditionis istius Judaicae fides sit firman-

firmanda, reperiantur nulla, ea est somnium doctorum Iudaicorum vanum, nec potest esse fundamentum interpretationis Ies. 52, 13. 14. 15. et cap. 53. tot. Igitur historia de morte Iesaiae violenta mera fabula merumque figmentum magistrorum Iudaicorum reperitur. Hinc in promptu est, locum illum, qui suprema personae cuiusdam fata declaret, explicari non posse de persona, cuius fata suprema prorsus ignorantur. Talis enim interpretatio et a vero et a verisimili abhorret, quia incerta pro certis habentur. Ad quam cautionem si S. Reu. STAEVDLINVS respexisset, nouam suam interpretationem neque veram esse, neque vllam veri speciem prae se ferre, intellexisset.

Appendicis loco pauca addam de sententia eorum, qui putant, Iesaiam esse interfectum a Manasse, quum iam grandior et nequior esset effectus, quae est v. c. opinio Cornelii a Lapide, in Ies. 44. Hi quidem tribuunt Iesaiae aetatem iusto longiorem, attamen primo intuitu locus ille Ies. 52, 13. 14. 15. Cap. 53. tot. sine vllo negotio de Iesaia intelligi posse videtur. Omnes enim difficultates, quae S. Reu. STAEVDLINI interpretationem premunt, euanescunt, nec iusta est obiectio contra Iesaiae longaeuitatem. Sane ita videtur; attamen difficultates remanent grauissimae. Vnde scis, Iesaiae tantam senectutem fuisse concessam? E traditione Judaica concludis. Num fidem meretur traditio illa? Desunt argumenta. Igitur incertum pro certo, falsum pro vero habetur. Restat, vt certa sint indicia in ipso capite, in quo mors Iesaiae violenta cani dicitur.

Nunc filum disputationis meae abrumpere possum; satis enim mihi est, ostendisse, in loco illo celeberrimo de Iesaia sermonem non esse, quia iussu Manassis interfici non potuit. Ne quis autem putet, me examen illius interpretationis ideo omittere,

tere, quod eam refutare non possim, hanc rem in altera disputationis parte ita tractabo, vt ostendam, *caput illud Threnodiam in mortem Iesaiae continere non posse.*

PARS ALTERA.

Alterius huius disputationis partis ratio duplex est; Videbimus, 1) quid in hoc carmine Lectores exspectent, si Threnodia sit, et quid hoc carmen contineat; 2) Auctorem S. Reu. in singulorum versuum interpretatione sequemur.

1. Threnodia enumerat virtutes defuncti cuiusdam insignes, fortunae vicissitudines grauissimas, lugetque mortem eius, qui suis ob virtutes et benefacta carus fuit. Si igitur mors Iesaiae, viri grauissimi, in hoc carmine celebratur, virtutes eius eximiae sunt commemorandae et benefacta eius praedicanda; quae h. l. reticentur, nisi mortem ipsam inter beneficia referre velis. Porro vicissitudines fortunae, quas expertus sit, sunt enarrandae. Nostrum vero carmen vitam eius canit tristissimam, ipsum describit contemtissimum ab omnibusque despectum; tandem vita laetior post mortem sequitur. Sed Iesaias, vndecumque sit ortus, summa auctoritate, si non sub Achaso, attamen sub Hiskia polluit, et maximo honore habitus est dignissimus. Cur haec tempora non commemorantur? cur vestigia huius auctoritatis in hoc carmine apparent prorsus nullae? Talia enim in Threnodia quauis exspectant lectores, in hac tamen spe falluntur. Nam legimus haec: Is, cuius vita miserrima et mors iniusta in hoc carmine canitur, laetabitur de successu felicissimo praeter omnem omnium opinionem. Conditio eius, quoad vixerit, fuit miserrima, eius calamitas est aucta partim eo, quod a suis contemneretur, partim, quod in-

sons traderetur morti, qua sontibus immunitatem a poenis salutemque parauit. Igitur ob mortem in suorum salutem patienter toleratam fruetur felicitate longe maxima, vtque habebit multos posteros, ita ipse viuet quam diutissime.

His rite pensitatis, summam et argumentum carminis ad mortem Iesaiae non quadrare, concedent omnes, quoniam hoc loco de Iesaia non legimus, quae iure optimo et exspectari et postulari a poeta possunt. Haec de argumento carminis sufficiant; nunc versus singulos percurramus.

Cap. 52, 13. hoc versu cum maxima interpretum parte incipit doct. Auctor explicationem statimque notat: *v.* 13. *erscheint der große Prophet Iesaias, der bisher durch seinen hohen Geist, durch seine maechtige Beredsamkeit und durch die Talente eines Staatsmanns so stark auf sein Volk gewirkt — der die Schicksale fremder großer Koenige und Voelker, so wie seines eigenen Volks, bisher in Orakeln zum voraus entschieden hatte — noch in einem bluehenden Ansehen.* At aliud mihi videtur. Nam si hoc versu Iesaias pollens auctoritate describatur, auctor carminis conditionem eius feliciorem vberius tractare debuit, quia, statu priori cum praesenti comparato sensus lectorum magis moueri possunt, magisque elucet, quanta grauitate vir ille fuerit, cuius mors violenta nunc deploratur. Quare quum in sequentibus calamitas eius, immo caedes iniusta deploratur et pristina sors suauior paucissimis tangitur, quo ipse poeta carmini nocuit; sententia Staeudliniana vera esse non potest. Magis enim naturae carminis conuenit, si poetam, qui Deum loquentem introduxit, ab euentu felicissimo initium facere statuas filumque statim abrumpere, vt tristia tractet et ad laetiora redire possit, quibus carmen finiendum est. Primus igitur huius Pericopae versiculus de Iesaia intelligi non potest, quod in singulis voculis videbimus.

עבדי] non, qui Iehouam colit, sed *cui Iehoua fauet*, vt saepius. Equidem concedo, Iesaiam fuisse עבד יהוה, h. e. legatum Dei ad Judaeos, qui nomine Dei Judaeos admonebat, castigabat, eis minabatur et promissa edebat; concedo porro, Deum ei fauisse, munere fideliter gesto; attamen nondum inde erui potest, Iesaiam potissimum esse subiectum. Valet enim hoc de singulis Prophetis.

ישכיל*) *faustum habet euentum*] Attamen Iesaias mortuus est; cuiusnam rei optatum habuit euentum? An Judaeos ad cultum Dei veri adduxit? Saltem quosdam, quod quidem mihi iterum de singulis Prophetis valere videtur.

ירום — מאד] Tria haec verba, quae orationis gradationem continent, inuoluunt: *ad summos honores euehitur.***) Iesaias mortuus, et, si Judaeis credas, serra dissectus est, cui rei non inest gloria. Fortasse alluditur ad sepulturam honorificam, quae interfecto concessa est. Sed ad hanc opinionem nunc non respondeo, quam figmento Judaico niti, in parte priori demonstraui. In hoc igitur versu Iesaiam non inuenio.

v. 14. רבים] h. e. *omnes, omnis multitudo hominum.* Et si cui haec explicatio displiceat, si quis voculam ita explicandam neget, concedat necesse est, eam de tanta hominum multitudine esse accipiendam, quanta in ipso carmine describatur. Cap. 53, 6. legimus כלנו, et c. 52, 15. גוים רבים, de quibus voculis mox dicemus.

*) Οἱ ό. Arabs, Vulg. Syrus expresserunt notionem *intelligentiae*. Chald. adhibet voc. יַצְלַח, vt recentiores accipiunt fere omnes.

**) όι ό גבה omiserunt. Grabius Edit. suae inseruit ※ καὶ μετεωρισθήσεται, quod τοῖς Γ. tribuitur, et in Vers. Arab. et Editt. Ald. ac Complut. legitur.

שממו עליך] *obstupescunt propter te.* Omnes obstupescunt, hunc hominem, tam vilem tamque abiectum, tantis honoribus dignum declarari. — Iesaiam tali fuisse conditione, quis probare potest? Polluit, si veram et certam sequamur historiam, fere semper auctoritate quam maxima. Non igitur dici potest homo vilissimus omniumque contemtissimus. Et ad quam gloriam euectus est? Monumentum magnificum atque augustum, ab iis exstructum, qui ab eius partibus steterunt, intelligi non potest. Hoc enim nimis tenue videtur. Sed duplex caussa, cur omnes obstupescant, proferri potest: *a*) quia ob bonum euentum maximam nactus est gloriam; *b*) quia nunc in tantis miseriis angustiisque versatur. Prior videtur verior; nam inest comparatio conditionis diuersae: Quemadmodum omnes super te obstupescunt, scilicet te tanta gloria ornari: ita scilicet obstupescunt, eius vultum non esse similem homini, deformitatemque eius modum excedere. מאיש et מבני אדם, h. e. facies, quae non est hominis, circumscribit superlatiuum, facies eius est deformis quam maxime. Ergo inest: vt conditio eius melior et felicior, ita conditio eius deterior et miserior hominibus est res mira. Haec quidem de Iesaia dici posse modo negaui; sed si STAEVDLINVM adimus, Iesaias omnium contemtissimus tunc fuit, quum e carcere ad mortem crudelem raperetur. Quamquam autem carminis interpreti vitio vertimus, si singula verba ad viuum resecentur: tamen id a me alienum esse puto, si lectores attentos reddo ad duplicem conditionem, in hoc versu delineatam: *a*) *ad summos honores euehitur*, h. e. felicissimus est; *b*) *omnium contemtissimus et vilissimus est*, h. e. miserrimus est. Cui posteriori additur v. 15. *ita* h. e. eo, quod miserrimus est, *mundat gentes multas*, h. e. Deo reddit caras. Pauca ad h. versum obseruat S. R. STAEVDLINVS: *Aber so gepriesen er war*, ait p. 5. *so verachtet erscheint er ietzt — Iezt faengt er an gedemuethigt, beschimpft, verfolgt zu werden.*

So

So sehr viele dich anstaunten;
So klaeglich ist ietzt dein Aussehen,
So klaeglich deine Gestalt! *)

Auf diese Art findet auch das כאשר *und* כן *v.* 14. 15. *was den Auslegern so viel Schwierigkeit macht, seine wahre und befriedigende Bedeutung.* Igitur a me discedit 1) ponendo imperfectum loco praesentis, quod posui, ne quis me vaticinium intrudere velle credat. Intelligendum autem est futurum, propter carminis nostri finem. 2) Omittendo mutationem personarum, de qua nihil admonet. **) Caeterum de כן v. 15. †) falsum est, quod obseruat. Omisit enim et in versione et in explicatione verba כן יזה גוים רבים. et eadem pag. pergit: *Ich lasse die folgende Worte* יזה גוים רבים, *weg, weil sie noch kein Ausleger genugthuend erklaert hat, und sie sich nach ieder Erklaerung dieses Stuecks leicht drehen lassen. Also weiter: So bewundert du warst,*

So sehr werden ietzt Koenige sich ueber dich verwundern etc.

Equidem nullam video horum verborum difficultatem, nec vnquam hic haesitaui. Vocabulum enim נזה ††), quod in Pentateucho satis frequens est, significat *adspergere,* et quidem *religiose.* Quod quum duplici potissimum ratione fieret, vel *ex-*

 piandi

*) Auctor sequutus est τοὺς ό et Arabem, qui in hoc versu vbique expresserunt secundam personam.

**) loco עלין Syrus et Chaldaeus legunt עליו, quod exprimit Cod. Kenn. 224. et primo Cod. 576. Probatur a Doederleinio, Lowthio, Henslero; Koppius autem nihil mutauit; mutatio enim personarum prophetis solemne est.

†) כן v. 15. Vulg. vertit *iste* et Syrus eodem modo ܗܟܢ. An aliter legerint, nescio.

††) Dauid Michaelis comparauit Arab. نَزِهَ, *amoenus fuit, oblectauit,* et scripsit יִנְזֶה, quem Koppius sequutus est, qui vertit: *So werden sich sein freuen viele Nationen.* Quod non displicet. Οἱ ό. vertunt θαυμάσονται, legerint igitur יחזו.

piandi caussa, vel *ad vsus sacros destinandi caussa*: duplex inde oritur versio. *a*) *expiat multas gentes,* Deoque gratas efficit, quippe quae ab immunditie adspergendo purgatae sunt. *b*) *dedicat multas gentes,* efficitque eas peculium Deo acceptum. Vtraque quidem interpretatio verbis magis, quam re, diuersa est. Attamen si ἀκρίβειαν in interpretando sequaris, priori loco posita videtur esse potior, ob v. 12. cap. 53. At de Iesaia haec dici non possunt, quamcumque interpretationem praeoptes. Quid enim vult: *Iesaias multas gentes expiauit?* Quanam re? *Docendo, admonendo, minando, corrigendo.* Vox illa, e caeremoniis Judaicis sumta, tropice ad haec transfertur. At illis rebus notio expiationis cuiusque non satis definitur; debet enim adesse et *sanguis* et *mors.* Ergo Iesaias gentes multas fauore Dei, morte sua reconciliati, dignas reddidit? Sed quum altera explicatio eodem redit, ei immorari nolo. In sequentibus enim ad eamdem rem reuoluimur. Igitur ad verba S. Reu. STAEVDLINI redeo. Omisit verba illa ob duplicem caussam: *a*) Quoniam ea nondum vllus interpretum ita explicuit, vt acquiescere possis. Equidem non posco, vt caussam, cur notis illis explicationibus acquiescere non possit, proferat, quod meo iure omnino possim; attamen hoc vrgeo, vt nouam horum verborum interpretationem proferat, alioquin lectores ignorant sensum horum verborum; *b*) quia sine negotio ad explicationem quamuis trahi possunt. At vidimus, verba illa, e genio linguae explicata, cum Iesaia conciliari non posse. Omnino Auctoris erat, ostendere, qualemcumque explicationem hypothesi suae non esse contrariam. Quid tandem lector aequissimus de verborum illorum sensu atque vi cogitet? qui nunc ignorat, quae sint multae illae *gentes.* Iesaias enim in Judaea partes egit. Sed potestne tribus Judaica et Beniaminitica dici *multae gentes?* Dicis, gentes forte sunt *ipsi Judaeae inhabitatores.* Sint; quid tum? Iesaias multos Judaeos morte sua violenta Deo reddidit gratos, siue

ſiue peculium Deo acceptum; vtrumque mihi ſaltem abſurdum videtur. Sed addam verba Koppii, quae Parte IV. Editionis Ieſaiae Lowthiani p. 62. leguntur: *Ich will ſie*, ſc. Paraphraſin Chaldaicam, *beim Anfang des LIII Capitels meinen Leſern mittheilen, als einen ſehr auffallenden Beweis, zu welchen unnatuerlichen Kuenſteleien man ſeine Zuflucht nehmen mueſſe, ſobald man ſich von der Chriſtlichen Deutung des ganzen Cap. entfernt.*

יקפצו מלכים פיהם] S. R. STAEVDLINVS vertit: *So ſehr werden ietzt Koenige ſich ueber dich verwundern.* Quid Ieſaias patrauit, cur reges ſ. nationes tanta admiratione tenerentur? *Koenige werden*, ait p. 5., *bloſs deswegen als ſchaudernd und ſich verwundernd beim traurigen Sci[c]kſale Ieſaiae vorgeſtellt, weil Ieſaias bisher vorzueglich das Schickſal der Koenige in ſeinen Orakeln beſtimmt hatte. Sie, mit denen Ieſaias bisher im Namen Iehova's ſo ſtark und bedeutungsvoll geſprochen hatte, werden's nicht begreiſen hoennen, daſs ein ſolcher Mann bei ſeiner Nation ſo tief herabſinke.* Caedes Ieſaiae res mira videri non poteſt, et ob regem crudeliſſimum, et ob populum deprauatiſſimum. Vtrumque ipſe Auctor ita depinxit, nec reges ignorare potuerunt crudelitatem Manaſſis. Quare, ſi Ieſaiam a Manaſſe interfectum eſſe audirent, res noua et inaudita iis eſſe non poterat. Non igitur video cauſſam, cur reges propter caedem iniuſte commiſſam prae ſtupore vix hiſcere potuerint. At, dicis, ſi Ieſaias omnium primus a Manaſſe occideretur? Probes, Ieſaiam a Manaſſe eſſe interfectum, eumque omnium primum mortis damnatum eſſe. Sed veram cauſſam, cur reges tanto ſtupore ſint perculſi, ipſe textus docet: etc. כי אשר, h. e. *ſors eius*, de quo ſermo eſt h. l., ita comparata eſt, vt eam neque cogitare, neque comprehendere poſſint; tanta enim gloria, tanto honore ille ornabitur. Quam mira haec res ſit, porro deſcribitur c. 53, 1. ſi cum STAEVDLINO noſtro ſuperioribus annectere, orationemque Dei continuare velis:

Quis

Quis fidem habet dictis meis, quis sibi persuasum habet, me meo numine rem tam miram patrare valere? Quae verba clamant, reges ideo obstupescere, quod sors eius, de quo sermo est, praeter omnium opinionem optima euadit, atque felicissima.

Sed hic monendi sunt Lectores de vso phraseos קפץ פה, qui duplex potissimum est. *a) durum se praebere in alios*, et *in inopes* potissimum. Iob. 5, 16. sed Deut. 15, 7. et Ps. 77, 10. simpliciter קפץ legimus. *b) obstupescere*, et ostupescendo *indignari, inuidere*, vt oppositum sit *laetari*. Ps. 107, 42. Vtraque notio ad locum nostrum non quadrat. Itaque ad contextum respiciendum est, quo duce significat *maxima admiratione teneri.* *) Hinc interpretes, qui in hac phrasi symbolum agnoscunt *subiectionis*, hanc explicationem nullo exemplo stabilire possunt.

Caeterum S. R. STAEVDLINVS versum Cap. 53. primum, vt iam monui, huc retraxit, vt Dei sermo continueretur. Quod quidem ferri possit, quum sensus, vt vidimus, non adeo repugnet. Attamen 1) suffixum in לשמעתנו, impedit, quo minus ei assentiar. Nouae enim excitantur turbae ob suffixum pluralis numeri. 2) Meo qualicumque sensu maius orationis πάθος euadit, si cum hoc versu initium fiat orationis poetae. Dei enim sermo finit: *numquam audita comprehendent.* Poetae sermo incipit: *quis fidem habet dictis nostris?* etc. S. Reu. STAEVDLINVS vertit: *Wer glaubt meinen Orakeln? Wer erkennt die Allmacht Jehova's?* et notat: *Die Mißhandlungen und Martern, denen man den großen Propheten unterwarf, waren wohl der sicherste Beweis, daß die goettlichen Orakel und die Offenbarungen der Allmacht Gottes verachtet*

*) Hac obseruatione Versio τῶν ό et lectio valde mihi probatur, quia membra oriuntur parallela. Sed finis huius carminis me impedit, quo minus huic interpretationi assentiar.

achtet seyn müßten. Quae si vera sint, non solum de Iesaia, sed etiam de omnibus prophetis iniuste occisis, valent. Caedes enim prophetarum semper testimonium perhibet, quanta impietate in Deum sint homines! Immo potius sensus est: Res, quam canimus, adeo mira est, vt nemo credere velit. Ille enim, de quo sermo hic est, quisquis sit, vicissitudines fortunae expertus est tantas, vt, qui audiat, assensum dictis recuset.

v. 2. ויעל—ציה] Haec est, vt et S. Reu. STAEVDLINVS ait, imago conditionis deterioris externae. Verba: *vt surculus—vt radix,* explico: vt surculus, cuius radix in terra arida alitur. Ergo inest: surculus exilis, tenuis, sine omni decore. Et *succrescit* idem significat, quod *est.* His verbis ad natales respici, non puto, sed in iis contineri summam eorum, quae sequuntur. Sed non praetereundum est לפניו, quod S. Reu. STAEVDLINVS omisit, quodque alii de *populo* intelligunt, quibus ego adsentiri non possum. De populo, et quidem Judaico, non sermo fuit in antecedentibus, vt *coram eo* accipi de populo Judaico posset. Ego vero refero ad *Iehouam*, et pleonasticam orationem esse existimo, nisi velis interpretari, *volente Iehoua,* quod non necessarium videtur.*)

In reliquis h. v. verbis augentur phrases idem fere significantes, vt conditio eius flebilis, de quo sermo est, magis elucescat, et sensus paucis exprimi potest: *nullus in eo erat decor, nulla venustas.*

In v. 3. continuatur imago illa tristissima et omnibus loquutionibus, quae hic accumulantur, inest conditio deterrima; liuor, sugillatio, vulnera. Quia autem singula verba iam saepius

*) Inter veteres interpretes Symmachus יונק *κλάδος* vertit, reliqui notionem infantis expresserunt. Illud *τῶν* LXX *ἀνηγγείλαμεν* vitiosum est, loco *ἀνέτειλε μὲν*, quod iam Koppius vidit.

pius sunt explicata, iis aeque immorari nolo, ac v. 4. 5. Sed ad sensum horum verborum quaedam moneo. Continuatur conditio huius personae miserrima: omnibus miseriis et calamitatibus obiiciebatur, non ob sua, sed ob nostra delicta. Quum quidem maximis conflictaretur aerumnis, quae sua tandem morte finirentur, Deum ab eius flagitiis poenas sumere opinabamur; attamen nostros in se recipiebat dolores et ob scelera nostra morti tradebatur, vt nos essemus incolumes atque sospites.

Nunc audiamus S. Reu. STAEVDLINVM, qui ad v. 3. p. 7 habet haec: *Der Prophet hatte sich durch seine starken Vorwuerfe und durch die lebhafte Schilderung der herrschenden Verdorbenheit die Verachtung des ganzen Volks zugezogen, und wurde deswegen zu der qualvollsten Todesart verurtheilt. Aber was er ietzt duldete, haetten eigentlich die Lasterhaften dulden sollen, die er mit Worten bestraft hatte.— so fiel er ein Opfer fuer die Suenden des Volks.*

His addo, quae p. 8. legimus ad v. 5. *Wieder*, ait, *derselbe Gedanke! Die Verbrechen des Volks würden Gelegenheit und Ursache, daß der Prophet gestraft wurde. Sein unglueckliches Schicksal war kein goettliches Strafgericht ueber ihn,* (v. 4) *sondern Folge seiner Freimuethigkeit gegen ein lasterhaftes Volk. Es war nicht goettliche, sondern menschliche Strafe. Waere das Volk fuer die Verachtung, die es gegen den Propheten zeigte, sogleich gestraft worden, so waere der Prophet ohne Zweifel gerettet worden. Aber, so wars umgekehrt. Der Prophet mußte bueßen und das Volk blieb ungestraft — er blutete, und das Volk sammt seinem Koenig blieb in sicherer Ruhe. Der Prophet litt so viel, als wenn alle die Suendenstrafen, die das ganze Volk haette bueßen sollen, auf ihn gewaelzt waeren.* Vtramque notam coniunxi, vt repetitio, quae nauseam creare solet, euitetur. Quae opinioni huic Staeudlinianae opponi possint, haec fere sunt.

a) Com-

a) Commentum Thalmudicum fingit rem de morte Iesaiae violenta, ac si certissima sit, verumque assumitur id, quod dubium, immo falsum est.

b) Caussa et occasio, cur Iesaias interfectus est, latet in malis populi moribus. Alibi ipse Auctor declarat, Regem fuisse et sceleratissimum et crudelissimum. Vide v. c. p. 11. *wenn auch Iesaias ein Opfer seiner Rache und seines Blutdursts wurde.* Vtraqua pars, dicis, fuit deprauata. At supra ostendisse mihi videor, neque regem, neque populum adeo sceleratum esse potuisse. Profecto non video, cur populus potissimum mortem Iesaiae effecisset? Omnis quidem sermo ita est comparatus, vt lector de vniuerso populo cogitare dabeat; Attamen quis sibi persuadere potest, omnem populum, qui sub Hiskia per vndetriginta annos cultui Iehouae deditus fuerat, ineunte Manassis regno, a bono honestoque iam fuisse abstractum?

c) Vnde Auctor scit, Iesaiam ob malos populi mores, viuidioribus coloribus depictos, contemtum vniuersi populi sibi parasse? Desunt enim, vt ipse ait p. 21., oracula sub Manasse prolata.

d) Non intelligo illa: *Waere das Volk fuer die Verachtung, die es gegen den Propheten zeigte, sogleich gestraft worden, so waere der Prophet ohne Zweifel gerettet worden.* A quonam populus erat puniendus? A Rege? Is erat sceleratissimus, vt ipse S. Reu. STAEVDLINVS affirmat. A Deo? Ergo *omnis* populus exstirpandus erat. Et si Deus vindex et vltor fuisset, Iesaias reuera mansisset incolumis, non *sine dubio.*

e) Iesaias senex, cuius beneficia in gentem Judaicam omnibus erant nota, sceleratus dici non potest, quod v. 4. inest: *Wir glaubten, es sei Gottes Strafgericht ueber ihn, und er leide um seiner Suenden willen*, ita vertit Auctor noster, et obseruat: *das letzte: um seiner Suende willen, muß nothwendig um des Zusammen-*

 hangs

hangs willen hinzugedacht werden. At quis Judaeorum tam vesanus esse potuit, vt crederet, Iesaiam ob peccata sua a Deo puniri? Nonne euentum vaticiniorum viderant? Num iis res de clade Sanheribi fuit ignota? Ego conciliare non possum verba illa p. 7. *Der Prophet hatte sich — verurtheilt.* (vide supra p. 26.) cum iis, quae modo citaui.

f) Iesaias sua morte delicta Judaici populi *expiare* non poterat. Nam expressis verbis v. 5. legimus: ille punitus est, nos mansimus impunes, ille vulneratus, nos ob eius mortem fuimus incolumes. Quod nec negat auctor noster, qui ad v. 4. obseruat: *was wir verdient haetten, mußte er leiden;* et p. 8. *Der Prophet mußte buessen, und das Volk blieb ungestraft — er blutete, und das Volk sammt seinem Koenig blieb in sicherer Ruhe. Der Prophet litt so viel, als wenn alle die Suendenstrafen, die das ganze Volk haette buessen sollen, auf ihn gewaelzt waeren.* Ergo populus morte Iesaiae declarabatur insons, ac si nihil peccasset; poenas enim peccatorum in se recepit Iesaias. Sed quia explicationem ad absurdum duci video, ei nunc immorari nolo. Auctor ipse accuratius probet, quo tandem sensu Iesaias pro populo, siue populi loco, mortuus dici possit. Nam iis, quae S. R. STAEVDLINVS locis saepius citatis disputauit, acquiescere nullo modo possum. Sunt autem haec: *morte non sunt affecti, quamuis morte digni.* Quaero, cur morte digni erant? ob scelera sua. Cur morte non afficiebantur? ob caedem in Iesaiam commissam. Ergo *scelerati*, ob caedem in Iesaiam iniuste commissam, facti sunt *non scelerati.* His igitur, sine vlla calumnia inest: Deus populum Judaicum, qui mortem Iesaiae cupiebat, ob huius mortem declarauit, iudicauit, et esse voluit iustum, pium, sanctum.

g) Quid de reliquis prophetis a Manasse interfectis statuendum est? Conf. p. 11. vbi ait: - - - *wie die Propheten diesem Koenige seine Laster vorwarfen — er all diese Warnungen nicht achtete, son-*

sondern in seinen Grausamkeiten fortfuhr, so wird man es nicht befremdend finden, wenn auch Iesaias — ein Opfer seiner Rache und seines Blutdurstes wurde. Ex quibus verbis apparet, Manassen nec pepercisse reliquorum prophetarum vitae. De his igitur idem, quod de Iesaia, dici potest; etenim erant piacula gentis suae, vt Iesaias. Non enim video, cur hoc de Iesaia potissimum valere debeat, quum tamen verba illa v. 4. 5. clament, hanc rem ei, de quo sermo est, esse maxime propriam.

h) Tandem omnes phrases, quae in his versibus occurrunt, *morbum* indicant, non *vim*, hominem cum *morbis grauissimis*, et quidem, vt quidam volunt, cum *lepra* conflictantem, non *oppressum vi et crudelitate*. Quam rem omnes fere interpretes tetigerunt. Igitur si Auctor noster errorem grauem odoraretur, ostendere debebat, in phrasibus illis notionem esse *violentiae toleratae*. Quod quia non fecit, firmo adhuc talo stat illorum interpretum sententia, et quum is, qui morbis laborat, dici non possit *vi oppressus*; interpretatio S. Reu. STAEVDLINI vacillat.

v. 6. Nihil fere habet obscuritatis: nos quidem vt oues errabamus et suam quisque vitae rationem sequebatur, suae quisque lubidini indulgebat: Iehoua tamen omnium nostrum iniquitates ei imposuit, h. e. poenas nostrorum scelerum. At vulgarem explicationem: *nos eramus flagitiosi et facinorosi*, S. Reu. STAEVDLINVS non probat, sed interpretatur: *Wir alle eilten unserm Verderben entgegen, wie Schaafe, die ihren Hirten nicht mehr haben, aber das Verderben, das uns doch haette treffen sollen, traf ihn*; quam interpretationem ei et nexus et ipsa comparatio videtur postulare. At, ni fallor, haec diuersitas non in re, sed in verbis continetur, immo potius S. Reu. STAEVDLINVS posuit consequens, vulgaris autem interpretatio exprimit antecedens, cui ipse assentitur p. 8. vbi Judaeos vocat: *ein lasterhaftes Volk*, et

verſ. 6. ipſe vertit: *Aber Gott legte alle Strafen unſrer Suenden auf ihn.* Ergo ſenſus eſt: nos nosmetipſos ob ſcelera noſtra in perniciem praecipitabamus; ſed Deus hunc perniciei tradidit.

v. 7. deſcribit graphice, quanta patientia omnes miſerias et mortem crudeliſſimam pertulerit is, de quo in hac pericopa ſermo eſt; et v. 8. omnes miſerias calamitatesque ab illo eſſe exſuperatas morte ſua luculenter quidem declarat; attamen verba laborant quadam obſcuritate. עצר et משפט h. l. ſunt ſynonyma. משפט non verti debet *iudicium*, ſed quod iudicii notioni annexum eſt: *miſeria*, vt prius membrum ſit: *omnes miſerias calamitatesque exſuperauit.* Verba: ואת דורו מי ישוחח, S. Reu. STAEVDLINVS vertit: *Wer bedenkts unter ſeinen Zeitgenoſſen?* quae verba parentheſi includenda eſſe dicit. Sed haec verſio eſt obſcura. Nam quisque haec intelligit: *nemo curat tanti viri mortem*, contra Auctoris ſententiam, qui v. 9. vertit: - - - *Aber er ſand es bei den Reichen*, et qui p. 10 commentatur: - - - *Sein ſchoener Tod brachte ohne Zweifel das Volk, oder wenigſtens einen Theil deſſelben, ſammt dem Koenig. zum Nachdenken — ſeine Unſchuld wurde anerkannt* etc. Igitur illis cordi erat, tantum virum eſſe occiſum. Quis ſenſus verbis illis inſit, e verſione STAEVDLINI incertum eſt. Contextus tamen docet, ſenſum eſſe: nemo aequalium curat, hanc perſonam eſſe *piaculum pro peccatis hominum.*

למו, cum aliis Auctor interpretatur ita, vt huic voculae numerus vnitatis inſit: *Meines Volks Suende ward die Urſache ſeines Todes.* Non reſpexiſſe videtur ad lectionem τῶν ὁ. למות, ſaltem ſilet de ea. Sed pergo ad v. 9. qui omni fere tempore interpretum ingenia exercuit, quo variae explicationes natae ſunt. Noſter ita expoſuit:

Mein Volk beſtimmte ihm ſein Grab bei den Miſſethaetern,
Aber er ſand es bei den Reichen,

Weil

Weil er keine Missethat begangen hatte,
Und kein Trug in seinem Munde war.

Hinc apparet, Nostrum ad ויתן supplere עמי, e versu praec. alii vero subintelligunt יהוה, alii vero vertunt impersonaliter: *Destinatum quidem est,* nec opus est, puncta vocalia mutari. Deinde עשיר *dives* vertitur. Retinuit igitur S. Rev. STAEVDLINVS versionem communem, quae Boysenio et Koppio displicuit ob parallelismum membrorum. Koppius contulit arab. عثر *Atheus*, et vertit *bei den Frevlern.* Et denique במותיו, *sepulcrum splendidius et angustius*, siue simpliciter *tumulus*, nec languet oratio, addito vocabulo את עשיר, vt p. 14. ait, vbi vertit: *Aber bei den Reichen ist sein koenigliches Grabmal.* Deleatur modo *koeniglich.* Nunc videamus, quo tandem modo hic versus ex sententia S. Rev. STAEVDLINI de Iesaia intelligi possit. *Dem hingerichteten Propheten war ein Grab bei den Missethaetern bestimmt — aber sein schoener Tod brachte ohne Zweifel das Volk, oder wenigstens einen Theil desselben, sammt dem Koenig zum Nachdenken — seine Unschuld wurde anerkannt — Man fand bei einigem Besinnen bald, daß sein ganzes vermeintes Verbrechen darinn bestand, einem lasterhaften Koenig und einem verdorbenen Volke frei die Wahrheit gesagt zu haben — Aber das Opfer war gefallen — Man that also, was allein noch geschehen konnte, seine Ehre zu retten, und den edlen Propheten zu rechtfertigen — Er, der wie ein Missethaeter gestorben war, sollte neben Koenigen ruhen. So kann man sich aus Mangel an Kenntniß der Geschichte damaliger Zeiten die Sache vorstellen. Vielleicht kamen noch andere Umstaende hinzu, welche machten, daß die Unschuld des Propheten anerkannt wurde und an den Tag kam. Sollte er wirklick aus koeniglichem Gebluete gewesen seyn, so konnte auch dieser Umstand dazu beitragen, daß er iezt ein Grab neben Koenigen fand.* Reliqua, quae hic leguntur, iam a me parte priori sunt examinata. Quare pauca habeo, quae ad verba illa respondeam.

a) *Pars Judaeorum, et Rex ipse, Iesaiam esse innocentem, agnouerunt.* Quaero, quibus documentis? Auctor ait: *Sein schoener Tod brachte* etc. Vnde nouimus, Iesaiam constanti et aequo animo mortem esse perpessum? Ex opinione! Sed Auctor suspicatur porro: *Vielleicht kamen noch andere Umstaende hinzu* etc. Quaenam res innocentiam Prophetae demonstrabant? Scelus eius Auctor ipse nominat: *Sein ganzes vermeintes Verbrechen bestand darinn, einem lasterhaften Koenig — die Wahrheit gesagt zu haben.* Ergo res illae declarare debebant, Prophetam vera dixisse, sed veritas odium parit, et, si credamus STAEVDLINO, mortem Iesaiae conciliauerat, quin immo humationem inhonestam.

b) *Rex et populus ad mentem saniorem redierunt.* Concedo haec, si Auctor conciliare potest, quae p. 10. leguntur: *Dem hingerichteten Propheten — zu rechtfertigen.* (Quem locum modo proposui,) cum iis, quae p. 11. protulit: *Wenn man die Geschichte — Blutdursts wurde.* (vide supr. in hac disp. p. 11 sq.) En! Iesaias interfectus est; statim et rex flagitiosissimus et populus deprauatissimus vno temporis momento in melius mutantur. Rex, qui omnia prophetarum monita non curat, crudelitatem exercere non desinit, et caede delectatur, Iesaiam innocentem esse, agnoscit; idque anno regni sui primo.

c) *Iesaias occisus honoratur sepulcro augustiori.* At silent omnia documenta ἀξιόπιστα, vt de tempore et genere mortis, ita de sepultura honorifica.

d) *Iesaiam e stirpe regia ortum esse, docet Traditio Judaica.* At haec magistra mendacia fabulasque aniles docet, quibus assentiri non possum, quamuis Auctor noster fidem ei tribuit iusto maiorem, et ita quidem, vt ei patrocinetur in Praefatione p. IIII. *Ich haette,* ait, *den Umstand, daß Iesaias von koeniglichem Gebluete abgestammt haben soll, damit bestaetigen koennen, daß wahrscheinlich auch Zephania vom Koenige Hiskias abstammte (Eichhorns*

Einleit.

Einleit. §. 593.) At potest concedi, verisimile esse Zephaniam ab Hiskia rege originem habuisse, tamen traditio Talmudica, quae Iesaiam e regia stirpe ortum esse narrat, maiorem inde non foeneratur verisimilitudinem. Argumentum enim ductum est a verisimilitudine: quia verisimile est, vnum prophetam e regia stirpe ortum esse, verisimile quoque est, Iesaiam e regia stirpe originem duxisse.

e) Plures prophetas a Manasse esse occisos, Auctor ipse non negat. At cur Iesaiae sepultura honorificentior est concessa? Forte mos fuit, prophetis interfectis humationem honestam concedere. Nam Ierem. 26, 23. de Vria legimus: *sepultus est in sepulcrum commune*, quae res ibi notatur, ac si contra morem facta sit. Ergo solemne fuit, Prophetas humatione honestiori ornare. Quid praerogatiuae igitur Iesaias habuit? Hic praeterire non debeo verba Auctoris nostri, qui in praefatione p. V. *Der Umstand endlich*, ait, *daß Iesaias bei den Koenigen, oder wenigstens bei den Vornehmen, begraben worden seyn soll, haette aus Ierem. XXVI, 23. erlaeutert werden koennen, wo es als ein besonderer Umstand angefuehret wird, daß der Prophet Urias auf dem gemeinen Kirchhofe begraben worden sei.* En! Auctor ipse se iugulauit.

f) *Historia sacra, Manassen aliquando mentem suam mutasse, narrat.* Rectissime. At S. Reu. STAEVDLINVS ostendere debebat, hanc mentis mutationem caede Iesaiae esse natam, si ea vti vellet ad sententiam suam probandam. Sed hac de re supra iam disputaui, et fallaciam non caussae, vt caussae, verbis Auctoris nostri inesse ostendi.

Caeterum notio τοῦ במות *mausolum s. sepulcrum augustius* potest quidem illustrari ex Ezech. 43, 7. attamen non est vrgenda; videtur enim esse synonymum τοῦ קבר. Verto *tumulum*, quia במות notionem *altitudinis* exprimit. Deut. 32, 13. Ies. 58, 14.

 Vide

Vide ad nostrum Ies. locum IVBBIVM apud LOWTHIVM in Ies. Quare versioni S. R. STAEVDLINI assentiri non possum, qui p. 14. ita transtulit:

Bei den Missethaetern war ihm ein Grab bestimmt,
Aber bei den Reichen ist sein koeniglich Grabmal.

Sed aliam adhuc interpretationem horum verborum proposuit. *Ich schlage also*, pergit eadem pagina, *noch eine andere Erklaerung vor, die ich noch nirgends gefunden habe, die sich aber theils zu meiner Hypothese eben so gut schickt, theils sich dadurch empfiehlt, daß man mehr, als bei irgend einer andern, bei der gewoehnlichen Bedeutung der Worte bleiben kann, und doch einen sehr starken Sinn erhaelt. Ich nehme bei* ויתן *eine nicht ungewoehnliche Ellipsis* אלהים *oder* יהיה *an, und nehme* כתן *in einer oft vorkommenden Bedeutung. Gott machte die Gottlosen zu seinem Grabmal, d. h. Er ließ ihn durch Gottlose sterben. Simple Metonymie! Ich vergleiche mit dieser Stelle Nah.* 1, 14. ומסכה אשים קברך, *ich will Goetzenbilder zu deinem Grabmal machen.* — At 1) non opus est ellipsis illa; sunt enim loca innumera, vbi tertia persona futuri sing. numeri loco verbi impersonalis legitur. 2) habemus את רשעים in hebr. textu, non רשעים simpliciter. Ergo, ni fallor, versio haec non accurata est. 3) Locus Nahumi non quadrat. Nam ibi sensus est, *propter idola te interficiam.* Ergo in Iesaiae loco sensus foret: *propter impios te occidi passus sum*, quae explicatio aperte pugnat cum contextu.

Alterum membrum ita vertit et interpretatur: *Und Reiche zu seinem koeniglichen Grabmal, d. h. und ihm durch Reiche ein koenigliches Grabmal bereiten. Wieder Metonymie! Gottlose wurden die Ursache seines Todes — aber zur Rettung seiner Ehre ließen ihm Reiche ein koeniglich Grabmal bereiten.* — At 1) haec explicatio stare nullo modo potest; nam e priori membro, quod, vt dixi, explicat: *Gott ließ ihn durch Gottlose sterben*, apparet, hoc membrum ita esse

esse explicandum: *Er ließ ihn durch Reiche koeniglich sterben*, quod est absurdum. 2) hoc quoque loco valent ea, quae ad prius membrum a me sunt proposita. 3) discimus aliam caussam, cur Iesaias morti sit traditus: Impii erant caussa. Quam supra iam proposuit p. 8: *Die Verbrechen des Volks wurden Gelegenheit und Ursache, daß der Prophet gestraft wurde.*

v. 10. תשים] est secunda futuri, et recte ad Iehouam refertur a S. Reu. STAEVDLINO: *Wenn du aber, o Gott, sein Leben zum Opfer dahin giebst.* Sed אשם est *piaculum*, v. c. Leu. 4, 3. et alibi. Ergo mors Iesaiae Judaeis fuit piaculum? Sed conf. v. 11.

יראה זרע *videbit posteritatem*] multos posteros numerabit. Iesaias igitur mortuus et sepultus multos habebit posteros. Non ignoro, phrasin *multos habere liberos* modo cogitandi Judaico inuoluere notionem *felicitatis insignis*, quia fauor diuinus inde concludebatur. At quo sensu Iesaiae mortuo et sepulto fuit posteritas?

יאריך ימים *prolongabit dies*] h. e. diu viuet. Et notio *vitae longae* in se habet notionem *felicitatis*, quia inde fauor diuinus apparet. Vtraque igitur phrasis hoc exprimit: Iesaias, qui morte sua popularium poenas in recepit, erit felicissimus ob dei fauorem. Sed qua ratione haec de Iesaia dicantur, ego quidem expiscari non possum. S. Reu. STAEVDLINVS vertit: *So wird er dafuer im Munde der Nachkommenschaft leben.* Quae ita explicat: *Bei dem Orientaler heißt Nachkommen haben — bloß so viel, als sehr glueckliche seyn. Wenn von einem Getoedteten gesagt wird, daß er noch sehr lange leben werde, so ist der natuerliche Sinn: daß sein Name unsterblich seyn werde — daß, obgleich seine Lebenstage gewaltsam verkuerzt wurden, er doch in einem andern Verstande desto laenger leben werde.* Nulla igitur dies memoriam Iesaiae delebit; quare? quia insons pro sontibus interfectus est. Ergo e morte eius ad populares maxima beneficia redundare debebant, quorum

 memo-

memoria sempiterna erit, et quibus sera posteritas gratissimo animo fruetur. At quorum beneficiorum gens Judaica morte Iesaiae particeps facta est?

[יצלח — וחפץ] consilium Iehouae eius ministerio, seu ope euentum habebit optatissimum. — Hoc loco Auctor ipse sensisse videtur, haec verba ad Iesaiam referri non posse. Quum enim historia sileat, ad coniecturam et propositionem hypotheticam confugit, in qua ipsa hypothesis probatione eget. Sed audiamus ipsum, p. 17. *Wie Gottes Absichten durch den Tod Iesaiae erreicht worden seyn, laeßt sich nicht wohl naeher bestimmen, weil die Geschichte schweigt. Vielleicht war es dieser Tod, der Gelegenheit gab, daß Manasse und das Volk sich zu bessern anfiengen. Wenn die Unschuld des Propheten anerkannt war — so mußte sein Tod als der Tod eines Weisen erscheinen, der die Wahrheit mit seinem Blute versiegelt hatte — und so mußte nothwendig die Wahrheit desto mehr Ansehen und Wuerde bei den Zeitgenossen des Iesaias und der Nachwelt erhalten. Auf diese Art erreichte Gott seine Absichten durch den Tod des Propheten nur desto mehr.* Ad haec respondeo:

1) In priori huius loci periodo legimus: *Wie Gottes Absichten — laeßt sich nicht wohl naeher bestimmen.* Sed in vltima: *Auf diese Art erreichte — nur desto mehr.* Hic affirmat, illic dubitat; vtrum igitur verum?

2) Iesaia occiso regem ad meliora rediisse, pernego. Nam in vinculis ad deum verum rediit, quae res et certa et nota est.

3) Num solus Iesaias moriens se sapientem praestitit? Nonne alii prophetae? Nonne et ii veritatem sanguine suo obsignarunt? Cur haec omnia de Iesaia potissimum valeant?

4) Innocentia Iesaiae detecta et agnita veritati maiorem auctoritatem dignitatemque conciliauit? Et hoc quidem *necessario* euenire debuit? Vbi vestigia huius necessarii euentus reperimus? Nonne omnes prophetae veri, qui a Manasse trucidabantur, innocentes erant? An horum morte veritati maior

auctoritas conciliabatur, et inter aequales et inter posteros? Cur mors Iesaiae potissimum hoc effecit?

5) Hinc, deum scopum sibi propositum morte Iesaiae assequutum esse, nego; et si Auctor noster sub voce *veritatis* intelligat cultum Iehouae contemtumque idolorum, eum contra historiam pugnare affirmo, quam pugnam non sensit; etenim hanc libelli partem inscripsit: *Iesaias und Ieremias, Maertyrer fuer die Wahrheit.* Ergo omnis haec Auctoris argumentatio a vero abhorret. Sed pergit: *Und das Folgende scheint mir fast zu erweisen, daß diese Idee hier herrscht.* Videamus igitur reliqua. Quamquam ob ea, quae modo monui, hoc fieri posse, valde dubitem.

v. 11. [מעמל—בדעתו] in hoc membro sequitur Auctor Doederleinii versionem: *post exantlatos labores reperiet sat multos doctrinae suae cultores.* S. R. STAEVDLINVS vltima ita expressit: *Wird er viele Verehrer erhalten.* Illud tamen *Verehrer* ambiguum est. Caeterum, quomodo haec de Iesaia dici possent, non enucleauit. Nec his immorabor.

[יצדיק] non potest significare: *ad veritatem perducere*: nam qui ad veritatem perducuntur, sunt *scelesti, poenis digni.* Itaque notio τοῦ יצדיק consentanea debet esse et conformis τῷ עונחם et τῷ יסבל. Eo quod poenas scelerum ab illis perpetratorum in se suscepit, יצדיק, multos a poenis, quae sceleratis imminebant, liberauit; ergo ille sontes insontes declarauit. Porro *morte sua* poenas facinorosis destinatas in se suscepit; ergo *morte sua* sontes declarauit insontes, morte perferenda effecit, vt immunes a poenis scelerum commissorum declararentur, haberentur, essent. Hinc, quia sontes iudicati sunt insontes, a poenis immunes, facti sunt digni fauore diuino, salutem nacti sunt, qua ratione יצדיק verti potest per consequens, morte sua effecit felicissimos. Hinc צדיק *insons, scelerum expers*, quod ipse Auctor concedit. In versione quidem habet: *mein wahrer Gesandter*, attamen

tamen in explicatione: *der unschuldige Prophet.* Verba haec sunt p. 18. *Der Gedanke, daß eigentlich sie, die Schuldigen, die Todesstrafe verdient haetten, welche der unschuldige Prophet auf sich nahm, wird viele zur Besserung leiten, und viele werden der Wahrheit anhangen, die er durch seinen Tod versiegelte.* Velim scire, quid verum sit, vtrum τὸ *wahrer Gesandte,* an τὸ *unschuldiger Prophet.* *) — עבדי h. l. idem, quod supra cap. 52, 13. *is, quem Deus suo fauore insigni beat.* — רבים, vt semper in h. l. *omnes*, v. 4. est כלנו. Haec explicatio et ad contextum quadrat, et a linguae ratione postulatur, nec opus est notionibus dogmaticis. Sed hic quoque aures lectorum et Auctoris eadem quaerendo obtundere cogor. Quonam tandem sensu Iesaias dici potest, morte sua poenis dignissimos effecisse impunes felices et salutis participes. Haec enim verba, nisi omnes interpretationis regulas tollere velimus, ad Iesaiam ne sensu quidem poetico trahi possunt; ab ipso autem Auctore nostro sensu satis proprio explicantur, qui errore inductus יצדיק *ad veritatem perducere* vertit. Caeterum quae illustrandi caussa huic versui subiecit, euentu non sunt comprobata.

v. 12. *Igitur partem ei dabo* **) *inter multos*, h. e. omnis hominum multitudo eum sectabitur, me auctore. עצומים, *potentes*, reges, vt Cap. 52, 15. legimus מלכים. — שלל, *praeda*, h. l. non sensu proprio. Sensus est: quin immo potentes suae potestati subiiciet, potentes ei seruient, eum colent. Quomodo? doctrinam eius in vita et factis exprimendo. — Quae his verbis Auctor noster subiecit, ita se habent: *Der Sinn ist, daß sich selbst*

*) צדיק a tribus Codd. abesse notat Lowthius ad h. l. Sed nihil a De Rossio obseruatum est. Et sane molesta haec vocula; etenim saluo sensu abesse potest. Hinc omisit Lowthius, nec Koppius expressit, tacite Lowthio assentiens.

**) Loco אחלק legunt οἱ ό. et Arabs יחלק κληρονομήσει, vt primo habuit Cod. de Rossi 20

selbst Leute von hoeherm Stande und Ansehen fuer den Iesaias und die Lehren, welche er verkuendigte, erklaeren werden. Sed his contraria est historia, vt saepius iam dictum est. — Quapropter autem haec euenient? Propterea, quod morti ignominiosae vitam suam exposuit, improbis annumerari, tamquam improbus tractari passus est.*) Quae S. Reu. STAEVDLINVS hoc loco suspicatus est, prorsus aliena sunt: *Es scheint,* ait, p. 19. *daß Iesaias sein Leben haette retten koennen, wenn er die strenge Aussprueche und die drohende Orakel gegen Ierusalem und seinen Koenig haette zuruecknehmen wollen.* — והוא, quippe qui peccata multorum tulit. Peccata sunt *poenae peccatorum*, et נשא idem quod v. 11. יסבל *suscepit*, se puniri passus est.

יפגיע] pro improbis *se interposuit.* Ergo eum, de quo hic sermo est, multitudo hominum sectabitur, quia morte sua eos effecit a poenis peccatorum liberos atque adeo felices. Hinc et opposita propositio vera est: nisi ille pro hominibus esset mortuus, poenis digni et infelices mansissent. — Igitur nec finis carminis ad Iesaiam trahi potest. Auctor noster haec tantum verbis his subiecit: *In welchem Sinne Iesaias fuer Schuldige starb, ist aus dem Vorhergehenden ganz deutlich.* Mihi quidem non fuit perspicuum.

In refutanda hac S. R. STAEVDLINI explicatione, non vt opinor, cupiditate quadam ductus sum, antiqua et satis trita retinendi, sed vt me modestum et a turbati animi motibus liberum in conatus huius viri doctissimi praebui, ita e genio linguae Hebraicae sine omni praeiudicata opinione meam stabiliui explicationem, quae quidem nouitatis laude se non commendat. Restant tamen alia, quae huic disputationi addi debent; iis enim Auctor interpretationi suae maiorem auctoritatem

*) *οἱ ὁ παρεδόθη.* Ita Arab. Vulg. et Chald. Syrus autem ܐܫܬܠܡ. Omnes libere ita verterunt.

tem conciliare voluit. Sic p. 19. et 20. ait: *Ich stelle diese Erklaerung Sach- und Sprachkundigen Richtern aus, ohne sie - - - gegen andere Erklaerungen zu vertheidigen. Sie bedarf auch dessen kaum, da sie nicht etwa auf erkuenstelten und ungewoehnlichen Auslegungen einzelner Stellen beruht, sondern lauter Erklaerungen annimmt, die durch den Hebraeischen Sprachgebrauch vollkommen erweislich sind.* — Equidem concedere possum; attamen in nostra explicatione neque est artificium, neque vis verbis infertur. Quod si verum est, vtraque explicatio parem saltem habet rationem. Igitur, hunc locum de morte Iesaiae agere, *certo* dici non potest.

Porro p. 20. pergit: *Wer freilich mit den dogmatischen Ideen von einer stellvertretenden Genugthuung zu dieser Stelle schon hinzukommt, und wer den orientalischen Sprachgebrauch nach dem unsrigen abmißt, dem wird diese Erklaerung auf den ersten Anblick mißfallen, und dem werden die Ausdruecke des Stuecks fuer den Maertyrertod des Iesaias zu stark scheinen. Das Schicksal solcher Erklaerungen modificirt sich meist nach den Grundsaetzen, die man vom Genius alter Sprachen hat.* — At non intuli notiones dogmaticas, de Iesaiae morte hic agi, modo negaui. Et quid opus est notionibus dogmaticis, si explicatio ipsa et cum historia et cum chronologia pugnat?

Eadem pagina pergit: *Waere diese bisher vorgetragene Meinung die richtige, so mueßte das Stueck von einem Dichter, vielleicht von einem Propheten, seyn, der entweder zu Iesaias Zeit, oder bald nach ihm, gelebt haette. Das erste ist weit wahrscheinlicher: denn der Verfasser spricht so ganz theilnehmend, so ganz wie ein Augenzeuge der Hinrichtung des Iesaias, so ganz, wie es scheint, aus frischer Erinnerung und Mitempfindung, daß das Stueck wohl kaum erst lange nach der tragischen Begebenheit entstanden seyn kann.* — Auctor tamen hac obseruatione semetipsum iugulare videtur. Nam quum hoc carmen non multo post caedem Iesaiae a teste oculari esse compositum confitetur, concedit, caede modo patrata et regem et populum

ad

ad ſanam mentem rediiſſe, quod probari nullo modo poteſt; vide, quae ſupra in parte priori dicta ſunt.

Quare ſumma explicationis Staeudlinianae corruit: *So waere, p. 21. alſo die beruehmte Weiſſagung eine Threnodie auf den Martyrertod des groſsen und edlen Ieſaias.*

Paucis eadem pagina quaeſtionem tractat: Quomodo haec particula in librum Ieſaiae irrepſerit. *Wie ein ſolches Stueck in ein Buch komme, das den Titel: Ieſaias fuehrt, kann nach den genauern Unterſuchungen ueber den Urſprung dieſes Buchs nicht mehr die Frage ſeyn. Schon Spinoza (Tract. Theol. polit.) hat es geſagt, dieſs Buch ſei eine Compilation von Fragmenten, die von einem ſpaetern Sammler theils aus herumgehenden Stuecken, theils aus den verlornen Iuediſchen und Iſraelitiſchen Reichsgeſchichten zuſammengebracht worden ſei. Auch vergaſs er nicht, zu bemerken, daſs Ieſaias ohne Zweifel und nach der Rabbinen Zeugniſs noch unter Manaſſe geweiſſagt habe, und daſs doch, was ſehr auffallend ſei — das Buch keine Weiſſagung aus dieſer Zeit enthalte.* — Natura quidem et ratio prioris ſententiae ita eſt comparata, vt certitudo eius poſtulari non poſſit; ſed quae vltimo loco dicta ſunt, nituntur commentis magiſtrorum Judaicorum, quae a Spinoza certa habentur.

Porro eadem pagina Auctor noſter argumentatur hunc in modum: *Wuerde nicht Ieſaias, wenn er dies Buch ſelbſt redigirt haette, auch Orakel aus dieſer Zeit eingeſchaltet haben? Iſt aber der Redacteur eine andere und ſpaeter lebende Perſon, ſo waren vielleicht damals die wenigen Orakel, die Ieſaias noch unter Manaſſe vortrug, ſchon verloren.* — At, 1) Auctorem vaticiniorum et collectorem ſiue editorem non eſſe eamdem perſonam, res nota eſt, nec Ieſaias editor oraculorum a ſe pronunciatorum eſſe poteſt, quippe qui a Manaſſe, e mente S. Reu. STAEVDLINI, morti traditus eſt. 2) Verbis poſterioribus ſecum pugnat vir doctiſſimus. Nam p. 20. magis ei eſt veriſimile, auctorem hujus carminis teſtem

caedis

caedis Iesaiae fuisse, et p. 10. obseruat, caede Iesaiae perpetrata populum, vel saltem partem populi, et regem ipsum, re paullo accuratius pensitata, Iesaiam insontem sine dubio declarasse. Ex quibus, si recte dicta sunt a S. Reu. STAEVDLINO, haec sine vllo negotio fluunt: Vaticinia Iesaiae, tempore Manassis edita, et a rege et a populo omni cura ab interitu seruata fuisse. Sermones enim erant Iesaiae morituri, quem mortuum et rex et populus, mente in melius mutata, pie venerabantur. Quare a me impetrare non possum, vt oracula sub Manasse prolata aetate collectoris iam interiisse credam. Nam si rex et populus, vterque morte Iesaiae permotus, ad sanam mentem rediisset, comprobasset vaticinia, comminationes et quidquid Iesaias contra regem crudelem et populum peruersum esset loquutus. Quare plura exempla adfuisse debent ob lectorum desiderium, qui mala imminentia timebant, quae a se pietate auerti putabant. — Sed quia mos est, ad coniecturas confugere, vbi historia desit, forte nullum oraculum cecinit, aut si cecinisset, litteris non mandauit. Igitur aliae adesse possunt caussae, cur ex hac aetate oracula desint. Sed dicam, quod res est, nulla adesse possunt; non enim probari potest, Iesaiam sub Manasse vixisse.

Eadem pagina pergit: *In unsern Zeiten haben Koppe und Eichhorn genauer und detaillirter gezeigt, daß unser Iesaias Stuecke aus verschiedenen Zeitaltern und von verschiedenen Verfassern in sich enthalte. In so fern koennte also auch eine Elegie auf Iesaias Tod in diesem Buche gar nicht befremden.* — In his, vt mihi saltem videtur, Vir S. Reu. festinanter conclusit: *a*) a particulari ad singulare, nec ostendit, hoc singulare in particulari comprehendi: h. e. Sunt loca quaedam in volumine Iesaiano, quae aetatem Iesaiae excedant. Ergo hic locus excedit Iesaiae tempora. Quam ob caussam? Quia hic argumentandi modus opinioni meae conuenit. Estne vero huic loco eadem cum illis ratio? Igitur 2) loca

loca illa, quae e sententia illorum virorum cum aetate Iesaiae non conueniunt, habent indicia interna; quae nostro desunt; etenim silet Auctor de iis, quamuis haec res suae opinioni pondus adiecisset quam grauissimum.

Si quis vero concedat in hac particula, sermonem esse de Iesaia, noua exoritur difficultas, quam pag. 22. anteoccupat. *Aber eine Elegie in einer Sammlung von Orakeln? Finden sich aber doch auch andere Stuecke im Iesaias, die nicht eigentlich prophetische Orakel sind; Finden sich doch eigentlich moralische Reden und Parabeln in diesem Buche. Warum sollte nicht noch vielmehr eine Elegie auf den Tod des Mannes Platz darinn finden, dessen Namen dem ganzen Werke vorgesetzt wurde.* — Et certe id fieri *potuit.* Sed quid lucraris, si contendas, collectorem Oraculorum Iesaianorum hanc Elegiam addere *potuisse?* Et hic recurrit illa quaestio, estne illa particula carmen lugubre in mortem Iesaiae? Quamquam vero clarum est, hanc argumentationem nihil firmi continere, tamen diutius ei immorari cogor, ob verba quaedam, quae in Praefatione p. IIII. leguntur et ad hunc Auctoris locum, vt mihi videntur, respiciunt: *Fuer die von mir vorgeschlagene Erklaerung der Stelle Ies. LIII. hab' ich nicht einmal alle Gruende angefuehrt, die sich mir dargeboten haben. Ich haette mich z. E. auf manche Psalmen berufen koennen, die Klaglieder auf leidende oder sterbende Propheten zu seyn scheinen, wie z. E. der 69. Psalm auf den Ieremias zu gehen scheint.* —

Iam pondus huius argumenti, si quid ei insit, pensitemus. 1) Libri, qui inter se inuicem comparantur, sunt diuersi generis. Liber enim Psalmorum continet Syllogen carminum, et varii argumenti, et variorum auctorum; sed liber oraculorum Iesaianorum continet oracula Iesaiae potissimum, vel si vera est obseruatio Koppii et Illustr. Eichhornii. Quod in illo verisimile esse potest, id non dici potest de hoc. 2) Auctor doctissimus

ita

ita argumentatur: Sunt Pſalmi, qui Threni in prophetas eſſe videantur. Ergo Threni in prophetarum calamitates et mortem ſunt compoſiti, quorum quidam libro Pſalmorum inſerti videntur. Igitur noli mirari, Poetam quemdam in Ieſaiae mortem Threnodiam ceciniſſe, quae a collectore Volumini Ieſaiano inſerta eſt. — At quia Pſalmi quidam Threni eſſe videntur, nondum ſequitur, vt Ieſ. LII, 13—LIII. tot. Threnodia eſſe videatur. Supra iam monui, Auctorem noſtrum a particulari ad ſingulare concluſiſſe, quod ei h. l. iterum accidit, nec, hoc ſingulare in particulari comprehendi, obſeruauit. Concedam, ſaltem refutare non poſſum, in Ieſaiae mortem Threnodiam eſſe compoſitam. Eſtne locus noſter Ieſaianus illa Threnodia? Largiar, in capite illo Elegiam quamdam contineri. Eſtne in mortem Ieſaiae? Annon in mortem alius cuiusdam prophetae? Cur ad nullum alium accommodari poteſt? cur ad vnum Ieſaiam? Nam alios prophetas threnis eſſe honoratos, verba Auctoris haud ambigue indicant: *Pſalmen, die Klaglieder auf leidende oder ſterbende Propheten zu ſeyn ſcheinen.* Caeterum vtrum τὸ *zu ſeyn ſcheinen*, ſit oratio dubitantis, an τὸ δοκεῖ εἶναι Atticorum, incertus ſum. Si eſt ambigentis oratio, quidnam veri eruere potes e propoſitione, quam veram et certam eſſe tu ipſe dubitas? Sin autem eſt attica vrbanitas, qua idem valet ac *eſt*, neceſſe eſt, vt Auctor argumentis ſuam ſententiam confirmet. At ſermo dubitantis non eſt. Ait enim pag. 6. in Praef. *Daß ich Ieſ. LIII. und Dan. IX. nicht als Meſſianiſche Weiſſagungen anſehe, enthaelt kein Bekenntniß, daß ich gar nicht an ſolche glaube.* Sed, ne iniquus ſim, exemplum profert, Pſ. 69. quem de Ieremia agi videri, dicit. Cur autem hic Pſalmus de Ieremia potiſſimum agat, ſcire cupio. Interim tamen concedam, Pſalmum illum de Ieremia agere, et alios quosdam de aliis prophetis. Quidnam lucis Cap. LIII. adfunditur? Nihil, nam ex his concludere non potes, caput illud eſſe Threnodiam in Ieſaiae mortem. In

libris

libris quidem Pſalmorum Elegiam in mortem prophetae cuiusdam reperiri non adeo mirer, ſed, in libro Ieſaiae threnodiam in mortem Ieſaiae legi, omnino miror.

Tandem p. 20. finita diſputatione S. Reu. STAEVDLINI, viri doctiſſimi, reſpondetur iis, qui forte Ieſaiam a Manaſſe eſſe interfectum negent. Momenta autem, quibus mortem Ieſaiae violentam *veriſimiliter* probat, haec fere ſunt: *Das Factum ſelbſt,* ait, *daß Ieſaias unter Manaſſe einen gewaltſamen und qualvollen Tod habe ſterben mueſſen, kann bei dem Character dieſes Koenigs und nach der Analogie der Schickſale anderer Propheten ſo wenig unwahrſcheinlich ſeyn, daß ſich vielmehr hier Tradition und Data der Geſchichte die Haende bieten.* — Ergo ſaeuiit Manaſſes in Prophetas, ſaeuiit in Ieſaiam, de cuius morte nihil certi ſcimus. Confer ſupra p. 13 ſeqq. Hinc apparet, omnem huius loci interpretationem et veriſimilitudine quadam, tamquam firmiſſimo fundamento niti, et leuiſſimis Thalmudis et Rabbinorum figmentis, in quibus nullum veritatis veſtigium detegi poteſt. Fundamentum autem explicationis cuiusuis debet eſſe certum, firmum et ſtabile, ſiue ſpectes vſum loquendi, ſiue cuiusdam facti hiſtoriam, ſiue alias res, quae loco explicando inſunt. E contrario interpretatio eſt incerta, dubia et vaga. Quodſi ad interpretationem huius loci Staeudlinianam transfero, quae facto, quod non euenit, nititur, non poſſum, quin eam incertam, dubiam, et vagam eſſe declarem.

Communis igitur loci iam ſaepius citati interpretatio, qua in eo continetur vaticinium de Meſſiae morte et de gloria poſt mortem ei impertita, nondum vacillat.

Reliqua argumenta ſunt, vt vocant, ſubſidiaria, quorum vis perit, ſi ipſum argumentum palmarium euaneſcat. Sunt autem haec:

1) Eadem

1) Eadem fors fuit p
phetas interficere, quo no
23, 35. 3) Exemplum
rum nos dubitare non fini
ciforum prophetarum infi

In meum vfum adi
ctoris, quae in Praefation
leicht bei manchen meiner Erk
ich die Schwaechen der gewoe
fatius effe duxi, oftendere
nae. Ita enim veritatis
foli meridiano fimilis, ani
poffint, fermonem in ho
tatore effe, cuius fors, q
ferrima viuidiffimis colo
mortales falus redundarit
pro peccatoribus interpo
fruatur maxima, nec vmq
piternam.

Caeterum plura de l
dere a ratione mei inftit
quod quidem exfpectari
attigit. Sed eius explicatio
quae eius fit fententia de l

Corrigenda. P. 3. l. 6. *et* dubia.
audimus. 24, 5. *vfu.* — 1
guftius. — 27. *wirklich.*

ors fuit prophetis aliis; 2) mos fere fuit, pro-
, quo nomine Iesus Judaeos exprobrat, Matth.
mplum Ieremiae de persequutione propheta-
non sinit. 4) in Praefatione ait: Exempla oc-
arum insuper addi posse.

sum adiicienda esse puto verba quaedam au-
Praefatione p. VI. leguntur: *Auch haette es viel-
meiner Erklaerung mehr Staerke geben koennen, wenn
der gewoehnlichen mehr gezeigt haette.* Ego vero
ostendere vanitatem explicationis Staeudlinia-
veritatis splendor, nubeculis errorum fugatis,
milis, animos lectorum illustrat, vt intelligere
m in hoc capite de solo generis humani sospi-
is sors, quamdiu in his terris versatus sit, mi-
mis coloribus pingatur et e cuius morte ad
edundarit vberrima, et qui, quum vitam suam
s interposuerit, felicitate ac beatitudine nunc
nec vmquam peritura, ad gloriam euectus sem-

plura de locis ex hoc capite in N. T. citatis ad-
mei instituti abhorret. Hanc enim materiam,
xspectari poterat, S. Reu. STAEVDLINVS non
explicatio huius vaticinii nos dubitare non sinit,
tentia de locis illis in N. T. citatis.

. 6. et dubia. 11, 14. *gewaltsamen.* 17, 23. *nulla.* 20, 21.
5. *vsu.* — 16. *continuaretur.* 27, 8. *vtraque.* 31, 10. *au-*
. *wirklich.*